

Et les Sciences &c. cœperat occultato tum quidem nomine *Job. Baptista Dionysius* live *Denis* Regis Consiliarius & Medicus Ordinarius; quarum prima statim ab his Tubis Stenotoreo-phonicis instituti laudabilis initium fecerat, secunda verò ipsum Discursum Inventoris Anglico Idiomate Londini impressum in Gallicam linguam transtulerat.

III. Hinc igitur constare nobis poterat, inventorem auditorii hujus artificii, cujus effecta jam aliquot ante hoc Collegium nostrum annis etiam Norimberga nostra (adeò percrebuerat ejus fama pariter & forma per universam Europam) sentire nos fecerat, esse *Samuelem Morlandum* Equitem Anglum, qui dudum equidem id animo conceperat, opere ipso vero anno 1670. primùm exhibuit. Ac prima




Fig. 28.

quidem omnium, quam ex vitro fieri fecit, tuba non nisi duos pedes & octo digitos longa erat aperturæ maximæ diametrum habens undecim digitorum, angustioris autem, quæ ori admovetur, duorum cum dimidio; cujus formam exhibet Num. 1. Fig. 28. Hanc autem cum ad notabile locorum intervallum transferre loquentis vocem comperisset, mox aliam